



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

3340

82

162

B. C. D.

SPECIMEN ACADEMICUM,
DE

PRIMA
IMPERANTIUM
PHILOSOPHIA,

QUOD,

Consent. Ampliss. Facult. Philosoph.

In Reg. Academia Upsaliensi,

PRÆSIDE,
VIRO CELEBERRIMO,

Mag. JOHANNES
IHERE,

Eloquent. & Polit. PROFESS. Reg & Skytt.
S. R. S. M.

Publico examini modeste submittit

OLAVUS HÖGMAN,
GESTRICIUS.

In Audit. Gustav. Maj. d. 25 Oct. 1746.

Horis ante meridiem solitis.

~~~~~  
**UPSALIÆ**



à  
MONSIEUR  
**JEAN HIERTA,**  
CHAMBELLAN de sa Majesté le Roi de Suede.

**L**A reconnaissance a toujours été si estimée parmi les gens de mérite, quelle tient presque la première place entre les vertus, non sans beaucoup de raisons; puisque l'ingratitude est le plus détestable de tous les vices, & ne convient qu'à des âmes éloignées de toute humanité. Je suis si pénétré, Monsieur, de ces sentimens par les marques de bienveillance, dont Vous m'avez honoré, que je me croirois parfaitement heureux, si j'avois l'occasion de Vous en témoigner ma foible gratitude. En attendant que je sois si fortuné, permettez moi, Monsieur, que j'avoue publiquement, que je vous ai mille obligations, aux quelles je Vous prie de joindre celle, que je Vous auras, si Vous daignez recevoir avec un œil favorable ce petit ouvrage que je prens la liberté de vous offrir. Je ne cesserai de prier le Tout-puissant, qu'il veuille repandre sur Vous ses dons les plus précieux!

Fai l'honneur d'être avec beaucoup de respect

MONSIEUR

Votre très humble & très obéissant  
serviteur

**OLAVUS HÖGMAN.**

HÖGADLA FRU,  
**FRU ANNA CHRISTINA  
MACKY,**  
MIN GUNSTIGA GYNNARINNA.

**E** Huru lyckan ifrån början med ett ganska sparsamt mått tilldelat mig sina häfver, har jag likwäl, så hon tillskyndat mig Högådla Fruns priswårda ynnest, af then samma sätt en dubbel ersättning. Jag kan nämligen aldrig utan sinnets rörelse förbunden med tacksamhet ihugkomma Högådla Fruns besynnerliga Gunst emot mig, ock innerligen glädja mig öfwer, att häfwa blifwet i så Förlåtn Gynnarinns beskydd upptagen. Tillåten då, att jag wid thetta tillfälle fördriflar mig, att frambara dessa få blad, som wedermåle af en upriktig erkänsla. The utwisa huru Prinsar skola uti ett Samhälle låta sig wara angeläget att utrenså Laster och inplanta Seder och wördnad för then heliga guden: och som Högådla Fruen är så kärare af the förra som älskare af the sednare, ty förhoppas jag, att the skola winna benågnare tillträde. Thet endaste som jag håremot kan å daga lägga, är att troget anropa then Högsta Goden, att Han wårdigas ån widare wålsigna Högådla Frun jemte hela The förlåtna wårdnad med allsköns wålgång, och med oåflätelig wördnad lefwer

HÖGADLA FRUNS

*abradmjukaste tjenare*  
OLAVUS HÖGMAN.



*Amplissimo atque Consulissimo VIRO,*  
**Dom. JOHANNI SMAREO,**  
Judici Territoriali æquissimo, PATRONO Optimo.]

*Speçtatissimo atque Consulissimo VIRO,*  
**Dom. ANDREÆ UHR,**  
Officin. Ferrear. ad Kongs - Gården &c. Possessori  
ac Directori | sollertissimo, Fautori & Bene-  
factori singulari.


*VIRO Plur. Reverende atque Clarissimo,*  
**Dom. LAURENTIO GRUNDEN;**  
PASTORI in Harg meritissimo, FAUTORI  
propensissimo.

*Speçtare Fidei ac dignitatis VIRIS,*  
**Dom. LAURENTIO AMBERG;**  
**Dom. ANDREÆ THEGENMAN,**  
Civibus & mercatoribus inter Gevalienses Maximo  
Conspicuis, Evergetis Certissimis.

*IN signum gratissimi animi, ob plurima in me colla-  
ta beneficia, & in spem ulterioris favoris, hanc  
qualemcumque disputatiunculam cum annigenæ felici-  
tatis adprecatioe offerre & volui & debui*

**NOMINUM VESTRORUM**

Cultor humillimus  
**OLAVUS HÖGMAN.**



I. N. J.

§. I.



**B**Ns Sapiientissimum, in toto hoc universo creando & sustentando, deos sua Majestate dignissimos intendisse fines, gloriam suam & humani generis felicitatem, venerabundi profitemur. Quamvis vero hos fines, pro scopo, in idea representationis suæ habuerit, nullam tamen in Deo involvunt imperfectionem, nedum libertatem voluptatis in ente liberrimo & sibi sufficientissimo infringunt. Pie potius credere fas est, eum rebus creatis, ceu mediis externis uti voluisse, per quæ Entia rationalia, ab effectu ad causam ascendendo, ratiocinari addicerent, magnum hunc opificem, tam pulera mole, perfectiones suas manifestare voluisse, ut deinde collata propria imbecillitate & indigentia, infinitam illam inæqualitatem, Eum inter & res creatas, existentem, suam dependentiam & inde fluentem

## DE PRIMA

tem obligationem, ad se & actiones suas creatoris voluntati conformiter dirigendum, melius perspicerent, & sollicitius caverent, ne quid admitterent, quod tanti tamque presentis Numinis iram promereri possit. Porro, cum Deus sit summum Bonum sui que communicativum, hinc in creaturas inprimis rationales tantum contulit boni, quanti capaces essent, hoc est, voluit, ut creaturæ, quam per naturam earum fieri posset, felicitatem summam assequerentur: qui adeo finis, felicitatem hominum loquor, fuit intermedius & subordinatus ultimo, ad quem singula, maxima, minima pro suo agendi modo collineare debent. Est hæc felicitas vel interna, quæ animum afficit, vel externa, quæ ad corpus statumque nostrum perficiendum spectat. Ad utramque pro virili comparandam, augendamque obligamur, ita tamen ne sub specie promovendi nostri commodi sanctiores fines insuper habeamus, vel dum felicitati nostræ inconsulte litamus, media in infortunia ruamus. Accidit hoc certe omnibus illis, qui lædendis opprimendisque aliis, sua compendia querunt, vel qui dulce putant, vitiorum in cæno volutari. Si enim maturiori judicio rem examinaverint, viderint utique, peccata dulces esse Sirenas, quæ postquam brevi demulserunt, diu pungunt, excruciant.

### § II.

Scilicet ut tanto magis a lædendis aliis, seque offendendo, mortales detineret benignum Numen, talia malas actiones stipare iussit consecraria, quæ per

për se molesta essent, & horrorem a peccatis ingenerarent. Sic qui vino se aliisque id genus potibus ingurgitant, crapulam, & sensim sensimque rei familiaris, famæ, sanitatisque dispendium, experiuntur: qui lasciviæ dediti sunt, eousque in semet impetum faciunt, donec exhaustæ fuerint vires, effœtum corpus, victum ingenium, restitutusque animi vigor omnis: qui aliis sua demit, in suum vicissim jus alteris nolens volens concedit, & quantum penes ipsum est, id agit, ut bellum omnium in omnes oriatur, & nemo tutus maneat. Sunt hæc peccatorum ut certa, ita gravissima confectaria; verum quum voluptas ex actu illicito profluens illico sentiatur, pœnæ vero sæpe tardius insequantur, tanti esse multi putant, brevis gaudii usuram pœnis æternum duraturis redimere. Tu vero B.L. admirare una mecum mentis nostræ ἀβλεψίαν, dissonumque agendi modum: loquimur, ut qui æternitatem credimus & reveremur, vivimus, tanquam toti aliquando morituri.

## §. III.

Quum itaque naturales illæ, quæ vocantur, pœnæ coercendæ hominum malitiæ solæ non sufficiant, & in civitate quò spissius habitant homines, eo largior sit peccandi materia, merito Plato lib. II. de Legibus τὴν πρώτην τῶν ἀρχόντων Φιλοσοφίαν seu primam imperantium philosophiam appellat cognitionem cives a vitâ flagitiosa cohibendi: illam vero præcipue tribus membris absolvi ait, proba nempe honestatis instillatione, tempestivis coercitionibus,



& intimo veri Numinis sensu. Sequemur nos hæc eadem vestigia, &, quantum brevitatis ratio permiserit, singula percensebimus.

§. IV.

Principe itaque loco gnavam honestatis a teneris instillationem ponimus, quæ, quantum momenti per universam vitam trahat, nemo ignoraverit, qui domi suæ non sit penitus peregrinus. Novimus enim, quid consuetudo valeat, & si alteram hanc naturam ipsa sæpe congenita propensione fortio-rem dixerò, non erro: exempla quidem in contrarium urgeri poterunt, sed si tamen id, quod sæpius fit, pro vero accipiatur, non dubito, quin plures calculi mihi sint suffragaturi. Sunt homines ad malum sua sponte proclives, & si aliorum malitiam non solum securam sed & honoratam videant, fieri vix poterit, ut adeo adversus vitia obfirmatum pectus multi gerant, ut torrente non abripiantur. Legimus sua diversis seculis, regionibusque familiaria vitia fuisse, quod qui fiat, si requirimus, aliunde ratio non est arcessenda, quam quod impunitate accreverint, donec vitiis tandem respublicæ impares, exspectare necessum habuerint, ut sua sponte senescerent, vel papilionum more, in alia se transformarent. Quam itaque salubre foret, ut a tenerioribus inde unguiculis pectus honesto incoqueretur, pusillaque ingenia sub ipsis ratiocinandi primordiis vitia detestari advescerent! tum enim, crede mihi, non minus fieri posset, ut ad mendacia, petulantiam & id genus alia exhorrescerent infantes,

ac

ac jam timidi tactum viperæ vel aranei refugiunt. Si itaque illi, qui morum magistri publice constituti sunt, elementa philosophiæ vere practicæ & sobriam *ἀρετολογίαν* studiosius inculcarent, spem concipio, futurum, ut diligentiolem operam navare mortales inciperent, ne de prolixiore opinione, quam de suæ naturæ dignitate, quisque lubenter fovet, spurcitie vitæ flagitiorumque sordibus ipsi quidquam diminuerent; ne animi tranquillitatem vitiorum conscientia turbent, aut difficultatibus, quæ impietatem nunquam non stipant, ipsi se induant. Si nempe satis hominibus explicatum esset, quanta virtutem sequatur jucunditas; ut hæc sua præmia cultoribus illico repræsentet, quanto facilius sit, probum esse, quam improbum; alibi quam in fictis rebus. morum honestatem coli videremus, inprimis ubi adeo felicibus esse contingit civibus, ut imperantes laudabilia sibi exempla præire videant. Regie Theodoricus nostras ad Senatum Populumque Romanum: *Facilius, inquit, est, errare naturam, quam dissimilem sui Princeps formare possit rempublicam. Quæ in eandem sententiam auctor Institutionis Principum monet, non minus egregia sunt: Nu män Konunga och Höfdinga skulu hafwa dygd och snillo och godlek, fram för andra män, at ehvar som se i heru árþáfwæ, maga sea sin spegil och áptedáme, huru han skall ráttlika och gudélika liwa. Part. 2. cap. 85.*

## §. V.

Essent hæc suffectura hominibus intra officii gyrum continendis, si studiosius, si temporius adhiberen-

berentur: sed cum partim remissius hoc negotium tractetur, partim cura hæc, invicta malorum malicia, retundatur; duriora etiam remedia adhibenda sunt, atque ubi monita, svasiones & imperium non sufficiunt, fasces et secures explicandæ. Heic vero, si unquam alias, summa opus est cautione, ne vel nimia severitate in suos grassetur Princeps, animosq; civium, quos flecti oporteret, intempestive frangat, vel aliam crudelitatem, eamque non minorem exerceat, parcendo omnibus. Fiet enim hinc, ut in Asylum civitas convertatur, & tantum liceat, quantum proterviæ libuerit. Sed non difficilior inter Scyllam & Charybdin navigatio est, quam accurata hoc in puncto mediæ observatio; id in genere dictum fuisse, pœnas omnes proportionatas esse debere, h. e., nec plus nec minus in se continere, quam quod obtinendo fini sufficiens sit. Nam si semper urere & secare voluerit Princeps, hydræ caput amputabit, & effuso sanguine malitiam efferari animadvertet, adeo quidem, ut ne centuplex quidem murus cum a vindice ira tandem defendere possit. Si vero contra ferrum semper conditum aut constrictum habeat, lenitudinem potius quam lenitatem præ se feret, sui que imperii majestatem villescere experietur.

## §. VI.

Dixi jam modo pœnas proportionatas esse debere, unde per se fluit, levioribus vitiis leviora supplicia irroganda esse. Generosus equus lupatis non eget flagellis que, ut sessori pareat, sed vel bis  
bisci

bisæi umbra satis admonetur, atque ad minimos domini iustus se componit. Pari modo Princeps accurato modulo pœnas dimetiatur. Sunt quibus vel nutus vel insolitum ejus frigus, vel parum secundæ fama & id genus fortius movent, quam alios equulei nervique: hoc casu non minus sibi turpia multa supplicia, quam medico funera putet, & semper sub hoc videat, ut pœna ad paucissimos veniat, metus ad omnes. Ubi vero projectior malitia cernitur, & metus est, ne peccandi impunitas aliis peccandi illecebra sit, immedicabile vulnus ense recidendum erit, ne pars sincera trahatur. Conferantur quæ graviter Craterus monet apud Curt. libr. VI. cap. 8. §. 5. 6.

§. VII.

Ut in pœna modum adhibere, ita nec minus circumspicere debet Princeps, quibus factis pœnam irrogare debeat: Nam exiguo tempore inermis fuerit,

*Si quoties peccant cives, sua fulmina mittat.*

immo perpetua sollicitudine agitabitur, semperque irascetur, si minimas offensiones severius expenderit. Si puniendus est, inquit Seneca, cuicumque pravum maleficumque ingenium est, pœna neminem excipiet. Præeunte itaque gravi hoc auctore, a pœna eximi debent. Imo actus inevitabiles humanæ naturæ, utpote quos non magis mutare possumus, quam aliud corpus aliamque animam nobis concinnare. Sic acerbum foret, militem in statione positum punire, quod satis mature hostem non observaverit, si con-

) de Ira Lib. 2. cap. 31.

stituerit;

stiterit, lusciosum fuisse, aut præfidiæ urbis irasci, quod in diem non satis diu toleraverit. II. Nec castigari debent actus mere interni, utpote qui nec directe rempublicam lædunt, nec semper in nostra potestate sunt, unde etiam canonis loco in Jure Romano erat: *Cogitationis pœnam neminem mereri*, & apud Nostrates, *För og jord gerning bötes oföde få*: sed quibus tamen cum limitationibus hoc sit accipiendum, Moralistæ tradunt. Ab utroque aliquid trahunt III actiones virtutibus oppositæ. Uti enim exspectare nefas est, ut homines omnes & omnibus numeris perfecti sint, ita aliquid iniquitatis haberet, alterum punire, quod dignam amico gratiam non retulerit, liberos non satis prudenter educaverit, & id genus alia. Præter hæc etiam IV Princeps de industria aliquando peccantibus connivet, idq; vel a) ut humanitatis & clementiæ fama civium animos sibi arctius devinciat, ostendatque se humanitatis suæ memorem esse, vel b) quod in peccante ea animadvertat naturæ dona, vel sua industria comparatam scientiam, aut tandem eam nominis celebritatem ut reo respublica carere nequeat, aut saltem profapiæ rationem habendam velit. c) Si numerus peccantium pœnam vel difficiliorem vel non satis tutam reddiderit. d) Si constiterit, quod irrogata pœna alios potius admoneat, ejusmodi quid fieri posse, quam ut absterreat: quod tamen ultimum, modum puniendi potius: quam rem ipsam ferit inq; eo casu tantum suadet, ne temere & publice exempla statuatur. Prætereo alia.

## §. VIII.

Sed hæc, quæ jam strictim percensuimus, remedia pertinaciori tollendæ malitiæ non satis semper paria cernuntur. Perversa natura, licet vel furca expellatur, tamen velut ex insidiis sæpe recurrit, & pœna eousque terretur, quousque metus est, ut satis celari facinus possit. Sed quum imperans, licet tot oculos, quot Poëtæ linguas oraque optare solent, haberet, immo licet totus esset oculus, multa tamen illius aciem subterfugerent, plurimique invenirentur, qui, modo cauti esse possent, castitatem veramque sanctimoniam ultro negligerent. His autem in ordinem redigendis frustra alia adhibeantur remedia, quam ut animus religionis interiore sensu penitus penitusque imbuatur, & ita homines sui conscientiam velut indivulsum *ἑσπερον* & censorem revereri addiscant. Erigetur enim tum in ipsorum met sinibus tribunal, quod nec versutia circumducere, nec donis corrumpere, nec blanditiis pelli- cere possint; aderit iudex tam sævus flagitiorum vindex, quam promptus benefactorum remunerator. Et donec hoc moderatore utantur homines, aliis non indigebunt ad benefaciendum aculeis, sed sua sponte pietatem ceterarumque virtutum complexum sectabuntur, viciaque veneno pejus vitabunt. Qui enim fieri posset, ut, qui viva cognitione Deum præsentissimo Numine ubique adesse novit, non verecundaretur, flagitia & sordes coram eo admittere? & numne tantum saltem reverentiæ Creatori haberet quivis, quantum eminentiori personæ so-

B

let,



let, qua præfente omnes ad honestatem mores lubenter componit, nec quicquam facile committit, quod indecorum inhonestumve sit. At heic Deus est, cœli folique creator, æternarum deliciarum pœnarumque diribitor, ultimusq; & provocatio-  
ne major arbiter. Sequitur idem justitiæ inexorabilis regulas, & tam parum vitiis connivere potest, quam vere Deus est. Hoc autem uti perquam largivide genus humanum confiderat, ita peccatis, eheu! nimium crebro succumbit.

### §. IX.

Diximus in antecedentibus a Summi Creatoris dotibus noſtraque indigentia demonſtrari, nos ad cultum ei præſtandum obligatos eſſe. Sed cum cultus Dei ~~conſtantius in internum & externum diſperſatur~~, quæri poteſt, an ad utrumque per naturæ lumen æque obligemur. Si Philoſophiæ præcticiæ Scriptores conſulimus, in diverſa eos abire videbimus: adeo ut hi diſerte affirmant, cultum Dei ~~externum per rationem eſſe demonſtrabilem~~, alii negent, alii vero, & imprimis illi, qui ſocialitatis cauſa omnia agenda autumant, integræ hanc cauſam ad aliud forum remittant. Mihi vero, ſi in illa, quam mihi propoſui, brevitate, ſententiam dicere liceat, de eo inter omnes facile convenire arbitror, per naturæ lumen nobis conſtare, omnes non animi tantum, ſed & corporis vires Summi Numinis cultui impendendas eſſe; ſed eſt quæſtio difficilior, quam ratione impendantur; & ſi quidpiam deſideraret Deus, quoddam illud eſſet, & undenam conſtaret,

staret; quæ cultu conciliari velit. Ratio certe huius rei petenda erit, aut in Deo ipso, aut in materia cultus, aut denique in subjecto ipso. In Deo vero omnia adeo eminenter perfecta invenimus, ut nulla re nostra indigeat, nulla perficiatur, teneat omnia, nec quapiam terrenarum rerum possessione auctior fieri possit. Nec ab illo, tanquam typo, cultus nostri *ἔκτυπον* formare possumus, quum in Deo omnia adeo excelsa sint, ut captum nostrum penitus transcendant. In *ipsa natura Divina*, verba sunt viri eruditi, *non majorem invenimus proportionem aut exemplar cultus externi, quam si diem vel solis lumen, vase exceptum, in locum obscurum transportare quis tentet.* Nec in ipsis objectis vel materia cultus, quidquam reperimus, quod Deo vel honorando vel placando habile sit. Quicquid enim excogitarunt gentes, id mutuo fere sumtum videre licet ex cultu eorum civili, libera voluntate & consuetudine introducto. Hinc observabis, alios Numina sua veneraturos pronos se projicere, alios in gentia prolapsos adorare, alios erectos sacra facere, aliis denique stantes pede in uno turbinis in morem se circumrotare, & tamen omnes in eo corporis positu se esse arbitrari, qui Deo inprimis acceptus sit, & sic in cæteris. Et hinc observare licet quam studiose ethnici, utpote consilii inopes, quò dono illud Numen supremum conciliandum esset, Sacra Judæorum imitati sint. Postquam nempe Deus Israelitis sui cultum præscripsisset, reliquæ gentes mox varia sacrificia

ficia adoptarunt, sed ita tamen, ut illa & id genus alia sua ~~varie~~ varie deturparint. Is enim egregie fallitur, qui existimat, per naturam innotuisse, crimina hominum morte animalis piari posse, aut Deum effuso animalium cruore delectari: sed potius locum heic habet, quod de Dæmonace adfert Lucianus, qui quum impietatis accusaretur, quod Minervæ non sacrificasset, respondit, se *nescivisse, Deam suo sacrificio indigere.* Certum itaque manet, in rebus ipsis nullam adesse rationem, cur Divino cultui adhibeantur, nec plus adesse rationis, cur in honorem Dei mactentur animalia, quam si incensis ædibus, aut fractis concisive arboribus, quispiam se Numini sacra facere crederet. Dixi in his casibus ~~parum subesse rationem~~, sed intelligo de nostro concipiendi modo: quin enim in mente & sapientia Divina validissimæ adfuerint rationes, cur immolandis animalibus se honorari passus fuerit, nemo negaverit, nisi qui Deum temere aliquid agere posse, in animum induxerit. Quam proinde nec in Deo, nec in ipsa materia quidquam sit, quod modum cultus præscribat, per se etiam sequitur, in homine nihil esse, quod eum determinet, nisi quod negative definire queat, fieri non posse, ut Deus ejusmodi cultu delectetur, qui in se aliquid turpe contineat, quales Romæ olim plures fuisse, & apud Barbaras gentes etiamnum vivere, in confesso est.

## §. X.

Ejusmodi vero cultus externi rationem ut Deum tradere voluisse, consentaneum est, ita postquam contigit, in id solite incumbendum est Principi, ut tam pressè Deo pareat, quam sibi, ut parcatur, optat. Ubi autem de vero oraculorum sensu discrepant cives, ille quidem in conscientias jus non habet, immo præscribere, quid credere quilibet debeat, tam parum potest, quam juberè, ut quod viride est, coeruleum quis ducat. Interea tamen, quum Dominus sit territorii, in totoque pacto cives suarum voluntatum directionem illi permiserint, judicare potest, utrum hæc vel illa opinio disseminata aliquid turbarum parere possit, & si visum fuerit, sancire, ut qui a recepta formula discesserint, facestant, & suas res sibi habeant. Sequitur proinde, quum Princeps cultus modum & credendi formulas præscribit, id fieri solummodo salutis communis intuitu, & quatenus bono publico conducit, et eodem religionis vinculo omnes confringantur cives. Sed, inquis, nonne ut patriæ pater omnium civium saluti prospicere debet, & adeo etiam invitis veram religionem obtrudere. Respondeo, quandoquidem nemo religionem adoptat, nisi quam veram esse, certo certius sibi persuadet, & ceteras proinde falsas; ideo qui aliam obtrudit, falsam in illius opinione obtrudit, quod quidem vis est, & cujus facultatem in societatem coeuntes, non dederunt. Non enim ideo in civitatem

tatem transeo, ut religionis agnitæ, h. e. unicæ ad salutem æternam comparandam vitæ, jacturam faciam, sed ut civiliter beer.

## §. XI.

Interea tamen cum salus reipublicæ indivulso nexu cum puriori religione cõhæreat, inque hac primarium robur inveniat; principis est providere, ne ejusmodi spargantur dogmata, quæ tumultus & seditiones parere possint, nedum ut gli-scens impietas sceleribus & vitiis latam portam aperiat. Sicut enim sine benedictione & favore Numinis nihil auspicato suscipi potest, ita ubi impura vita scelerumque patrocinio offensa Numinis contrahitur, non possunt non omnia retro sublapsa referri & tandem pessum ire. Hoc autem dum dico, non ideo secundum Machiavelli placita, religionem tantum politicum *Evangelium* habeo, vel ideo fovendam ducò, ut illo quasi terri- culamento in officio imperita plebs contineatur: irreligiosa enim hæc religio foret, & personatus atheismus. Quæri autem solet, si inter duo mala alterum esset optandum, satiusne foret Atheis an superstitionis Imperare: cui curiosæ magis quam utili quæstioni multa sunt, quæ quominus diu immorer, dissuadent. Non enim adhuc certum, utrum Athei per omnem vitam & vere tales inveniantur; & deinde quum ambo omnium confessione pestilentissimi sint, æque inutiliter Interrogatur,

gatur, ab utro major elades timeri debeat, æ frustra quæstio est, utrum gravius vita periclitetur hydrope an phtisi. Verbo: ut diversimode & diversa ratione agunt, ita pro diverso rerum articulo; jam gravius nocere possunt illius nugæ, quam hujus procacitas.

## §. XII.

Utrumque scopulum ut evitent cives sedulam curam Princeps agat, seque dum Dei in terris vicarium recordatur, in eo omnes cogitationes defigit, ut principalis sui honorem sua ipsius vita cariorem habeat, & inter præcipua Majestatis jura Religionis tutelam esse meminerit. Numa Pompilius, alter Romæ conditor, etsi in modo nimium peccaverit, & pietati dolos miscuerit, in eo tamen omne tulit punctum, quod instituendam civitatem neququam poenis & legibus coerceri posse existimaverit, nisi metu Numinis hominum pectora penitus imbuerentur: unde suo fastigio indignum non putavit, sacris admovere manus, & Pontificalia munia ipse obire: uti etiam alibi gentilium in una persona sacerdotium & imperium conjuncta fuisse, invenimus. Essent quidem plura circa hanc rem adferenda, sed contraho vela, inque grato portu videor mihi audire, ab universa patria nostra D. O. M. devota mente grates persolvi, qui nostram aulam tergemino pietatis exem-



exemplo coruscare jussit, & ita, quicquid fremant  
fata, felix meliora sperandi signum extulit. Uni-  
cum quod adhuc votis expetendum habemus, id  
est, ut hæc felicitas ita nobis propria sit, ut eam  
nostra erga domum augustam pietate demer-  
eri conabimur.

TANTUM

